



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Herculiani juniores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Delphi terrarum medium.

Apu^d delphos scilicet, duas fuisse Aquilas ex auro, quod monumentum erat terrarum umbilicum apud eos esse, quem Jupiter ea ratione exploravit, ut Aquilas duas, unam ab Oriente, alteram ab Occidente dimiserit, quæ pernici volatu in adversum allapsæ, supra Pythona factæ obviam sunt quo loco designato, declaratum est ibi terræ habitabilis medium esse, isque honos geminis aquilæ habitus, ut in templo ibidem excitato, aureæ constituerentur. Aque hinc illud innotescit, quod in Maronianis appendicibus legitur:

Meminit Nat. Com. lib. 4. c. 10.

*Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum.*

Ab Apolline autem ad Republicas & milites transire ipso narrationis ordine invitamur; ad eorum igitur insignia quædam ostendenda calamus convertemus: gentilem enim scutorum usum variasque in eis imagines, aut picturas, quæ familiarum indicant stemmata, cognationesque, tamen vix haudquaquam contemnendi, esse hæc recentioris ætatis inventa exiltimarint, nos antiquissimi moris esse, & hic, & alibi toto opere differuimus.

LACEDÆMONII. CAP. XXVI.

Literæ Lacedæmoniorum ad Hebræos.

Namque Aquila, quæ Draconem arreptum gestet, Lacedæmoniorum Republicam ostendit, huiusmodi enim signo literas illi publice obsignabant. Tradit hoc Josephus, ubi literas Lacedæmoniorum recitat Arii eorum regis ad Hebræos Onia Pontifice datas, quarum sententia ea erat, ut profiterentur Lacedæmonii se, per Abrahamum Judæorum esse consanguineos: proinde gentem ipsam hortabatur, ut quæ Lacedæmoniorum essent, pro veteri necessitudine communia dicerent. Epistolam eam Josephus, ait complicatam figura quadrangulæ fuisse, eoque obsignatam argumento, quod supra posuimus. Quod vero designarit epistolam fuisse quadrangulam, alios atque alios indicat complicandarum epistolarum modos, apud hos vel illos extitisse: alii enim paginis, alii tabellis, voluminibus alii in umbilicos complicatis scribere consueverunt.

CLEARCHUS. CAP. XXVII.

Clearcho autem Heraclienstem Tyranno, qui Jovis se filium dixit, in publicum prodeunti aurea Aquila velut argumentum generis præferebatur.

HERCULIANI JUNIORES. CAP. XXVIII.

Ejusmodi coloris Aquila, quippe lutea trunco insidens in parma lutei Sapphiri, cujus marginem eodem colore, sed admodum dilutiore, circulus ambibat, Herculanorum juniorum erat, qui sub Magistro militum Præsentiali militabant: quod in antiquis quibusdam ejus militiæ commentariis inveni apud Maffæos Roma.

HERCULIANI SENIORES. CAP. XXIX.

Herculiani & Joviniani qui.

Seniores vero Herculiani, cæruleam Aquilam alis utrimque passis habuere in rubra parma, cuius latus ambitus in margine lutei coloris erat, quem nigra linea circumducta in partes duas æquidistantes dissecabat. Erant vero Joviniani, sive, ut apud Vegetium est, Joviani, atque Herculiani, Illyricæ legiones duæ, quæ sena millia militum habebant, quos Diocletianus, qui se Jovem Latine vocitabat, & Maximianus, qui pro Hercule se gerebat, cum ad Imperium pervenissent, pro merito virtutis ita nominibus à se inditis, appellandos censuere, eosque cunctis legionibus prætulerunt. Tela vero illis erant plumbatæ, quos Manobarbulos vocabant, eosque portabant scutis infertos, usque opportune jactis hostes equosque priusquam non modo ad manum, sed ad ictum missilium pervenirent, gravi admodum percussione confauciabant, Imperatoresque illi horum opera bella plurima confecerunt.

JOVINIANI JUNIORES ET SENIORES.

CAP. XXX.

Jovinianorum autem, qui Juniores vocabantur, insigne erat Aquilæ apotheosis, redimiculo supra caput imposito. Ales ipsa nativi coloris in parma lutea, quæ rubro primum circulo claudebatur,